



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1714**

Q. 71, Quid dicendum sit de illo, qui Matrimonium contrahit invincibiliter ignorans impedimentum, quod habet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42682**

tantum ejusmodi consuetudinem non esse corruptelam, si per circumstantias ita justificetur, ut hic & nunc merito præcipi posset, ideoque multò magis per nullam consuetudinem, quæ plus nocet bono communi quàm profit, nullam legem etiam humanam tantum abrogari posse, quia irrationabilis est, & manet corruptela. Ex dictis,

§ 24. §. 8. Colliguntur multa, de quibus alibi suis locis dixi, v. g. per consuetudinem, quamvis communissima sit & longissima, non justificari, 1. usuram: 2. simoniam: 3. violationem immunitatis Ecclesiasticæ: 4. retentionem plurium Beneficiorum ecclesiasticorum sine dispensatione ex causa, si singula sufficiant ad plenam sustentationem &c. Ratio patet ex dictis.

§ 25. Q. 71. Quid dicendum de illo, qui Matrimonium contrahit invincibiliter ignorans impedimentum dirimens, quod habet. R. Ignorantia illum excusat, ut non peccet, nihilominus Matrimonium est invalidum, non aliter, ac si impedimentum fuisset cognitum, quia, quamvis ignorantia excuset, ubi lex est prohibens tantum, non tamen excusat, ubi est irritans. Nec refert, quòd impedimenta aliqua videantur habere rationem pœnæ, uti impedimentum criminis, pœna autem secundum sententiam communem non incurritur, ubi adest ignorantia illius invincibilis, nam impedimenta illa, censi non debent primariò & principaliter pœnæ, uti dicitur num. 642.

§ 26. Q. 72. An leges humanæ constituentes impedimenta dirimentia, absolute obligent in omni casu. R. affirmative. Hinc 1. si quis cognovit sororem sponsæ